





DISPUTATIO  
De  
**PIGNORIBUS,**

Quam  
Ex Decreto atq; Autoritate No-  
bilissimi Jctorum Ordinis in alma

Leucorëa

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILIS-AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI,

CONSULTISSIMI

Dn. MICHAELIS LEDERERI,  
J. U. D. Curia Electoralis, Scabinatus & Faculta-  
tis juridicæ Assessoris, juxta ac Reipubl. ibidem Consulis  
gravissimi, Dn. Patroni ac Promotoris ætatem  
colendi,

PRO LICENTIA

Summos in utroq; jure honores atq; privile-  
gia capessendi

*In Auditorio Majori*

*ad d. Maji*

horis ante & pomeridianis

*publico Examine sistit*

**GEORGIUS FRIDERICUS Parnemann/**

Coalb. Saxo.

Literis exscriptit JOHANNES RÖHNERUS Acad. Typogr. 1654.

ILLVSTRISSIMI & CELSISSIMI  
PRINCIPIS ac DOMINI,  
DN. FRIDERICI WILHELMI  
DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ  
ET MONTIUM, &c.

*Domini mei Clementissimi*

V I R O

*Magnifico, Generoso, Nobilissimo, Amplissimo,  
Consultissimo*

Dn. WOLF-CONRADO à Thumshirn/

Cancellatio eminentissimo & Consiliario intimo, Re-  
dituum Directori supremo juxta ac Domuum, Pontis & No-  
bis, Hæreditario perquam - Strenuo.

*ut &*

V I R O

*Plurimum Reverendo, Amplissimo, Præclarissimo,  
Excellentissimo,*

Dn. MARTINO CASELIO, SS.

Theol. Doctori perquam eminenti, Eidem Principi à  
Concionibus aulicis Primario, confessionibus sacris, in utroq;  
Ducatu Superintendenti, Generalissimo & Consistorii  
Altenburgensis Ecclesiastici Assessori  
gravissimo.

Dominis Patronis ac Promotoribus suis æternùm  
honorandis

*In signum debita gratitudinis propter beneficia summa hæctenus  
collata & ulterioris sui commendationis incitamentum  
Theses hæc inaugurales consecrat.*

Georgius Fridericus Parnemannus,

*Printis excipit, Johannis Koenig, Typogr. 1774.*



I. N. J.



Um, quod vulgò dici solet, ars sit longa, vita brevis, Dementia insuper, *secundùm Senecam*, in tanta temporum egestate supervacua addiscere, & *secundùm Scti Pauli consilium in l. 25. ff. de liberat. legat.* ea tantùm, quæ frequenter accidunt, memoriæ commendanda & aliquantò plenius attingenda sint, id eoq; nec Nos in præsentiarum, de Lege Ælia-Sentia fortè, L. Fusia Caninia, vel alia, cujus pro tempore nullus vel modicus est usus materia, sed de utili quâdam, scitu necessaria ac in foro frequentissima, PIGNORUM nimirum, qualem qualem, Deo adjuvante, discursum instituemus: Edocti autem *ex l. 1. §. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de j. & j.* omnem doctrinam à vocabulorum definitione incipere, definitionemque rei, eam quæ nominis, debere præcedere, sine ambage ab ipsa vocabuli denominatione exordiemur.

A 2

THES.

THES. I.

Constituimus tamen prius cum DD. differentiam inter pignus proprium & improprium, illud cum Icto Gajo in l. 238. ff. de verb. sign. dicimus esse à pugno sic appellatum, etiam si non nesciamus malle Giphanium in suo tractat. de pignor. ab antiquo verbo Pigneo, quod est Necto, hoc esse compositum ab *sub*, quod est sub & *positio*, quod est positio, quasi quaedam suppositio & obligatio rerum, ut ff. de reb. reor. qui sub tut. non alien. vel suppon. Rubr. Petr. Nicol. Mozz. in tract. de pignor. in princ. n. 10. Negus. de pignor. membr. 1. p. 1 n. 2. Et uti polysimon est vocabulum Pignoris (quamvis tripliciter potissimum in iure capiatur, interdum enim rem obligatam denotat, ut in l. 34.6. §. 1. l. 8. §. 3. pen. & ult. ff. & C. de distract. pign. Interdum pro iure sumitur quod creditori in re constitutum est, ut in l. 1. princ. item §. 1. & 2. l. 18. ff. de pignor. act. Quandoque etiam obligationem ipsam significat, ut in l. 52 §. 1. ff. de pact. Treutler. vol. 1. disp. 24. th. 1. lit. A.) Ita variis modis in iure appellatur, interdum enim Pignus & Hypotheca dicuntur idem, & quantum ad obligationem & actionem, sunt Synonyma, Ripa in Rubr. quib. mod. pign. solv. n. 8. tantumque nominis sono differunt, l. 5. §. 1. ff. h. t. ad eò, ut interdum res mobilis dici possit Hypotheca, immobilis verò Pignus, id quod videre est ex l. 4. l. 7. C. de pignor. act. l. 2. C. de prat. pign. vid. Harpr. ad §. 4. inst. quib. mod. pign. vel hypoth. solv. Solàque traditione pignus & Hypothecam differre, tradit Schneid. ad §. item Serviana, inst. de action. n. 21 Bart. & DD. in l. 9. §. 1. ff. de pign. act. Ex quibus cum Felino in c. cum aliquibus. de re judic. Negus. tract. de pignor. m. 1. p. 1. n. 8. asserimus, statutum, quod de pignore loquitur, etiam in hypotheca obtinere, & è contrariò: Porro, vadium quoque pignus interdum appellatur, c. 1. x. de pignor. aliquando antiphona, l. 33. ff. de pignor. act. quandoque antichresis, suppositio, de quibus Rip. Rubr. de pignor. Definitionem nominalem excipit realis:

THES. II.

Postquam autem thes. preced. pignus fecimus duplex, necessum etiam est, ut duas ejus faciamus definitiones, Pigno-  
ris

ris nimirum proprii & improprii, Proprium definimus quod  
est res quæ pro securitate alicujus manu tradita est, impropri-  
um, quod sit obligatio rei licitæ pro debito inita, *Mozz. d. d.*  
*n. 12. § 15.*

THES. III.

Dividitur Pignus generaliter acceptum communiter in  
tacitum & expressum, *l. pen. ff. in quib. caus. pign. tac. contrab. Ba-*  
*chov. de pignor. c. 4. libr. 1.* Tacitum unius tantum est generis &  
legale dicitur, *Bachov. dict. loc. Harpr. ad §. 4. inst. quib. mod. re-*  
*contrab. oblig.* Species verò ejus in jure occurrunt passim mul-  
tifariæ, aliquarum saltem hic mentionem faciamus, gaudent  
enim privilegio tacitæ hypothecæ pupilli & minores in bonis  
tutorum vel curatorum suorum, *l. 20. C. de admin. tut.* non ta-  
men in bonis heredum eorum, *l. 29 ff. de pignor. gloss. & DD. in l.*  
*assiduis. C. qui pot. in pignor.* De tempore disputari solet, quan-  
do nimirum tacita hypotheca in bonis tutorum vel curatorum  
incipiat? Nos putamus illud incipere statim quando quis  
incipit esse tutor vel curator, *arg. l. 6. §. fin. C. de bon. qua. liber.*  
*Bald. & Salic. in d. §. fin.* Habet itidem tacitam hypothecam  
mulier pro dote illata in bonis mariti, *l. un. §. fin. C. de rei uxor.*  
*act. & præfertur omnibus aliis creditoribus expressam antero-*  
*rem non habentibus, l. 12. C. qui pot. in pign. Gail. lib. 2. obs. 25. n. 10.*  
*Const. Elect. 28. part. 1. Ordin. proc. judic. El. Sax. tit. 43. in princ.*  
ex favore nimirum dotium publico, *l. 1. ff. solut. matrim.* Etiam-  
si secus sit in donatione propter nuptias, *l. 12. §. 2. C. qui pot. in*  
*pignor. & in paraphernalibus, Negus. m. 4. p. 3. n. 63. Carpz. p. 2. C.*  
*24. ff. 3. ord. proc. judic. tit. 43. vers. was aber.* Idem etiam heredi  
mulieris, modò non sit extraneus, datur privilegium, *vid.*  
*Carpz. ad part. 1. Const. 28. ff. 95. & seq.* Verùm hæc quæ de tacita  
mulieris hypotheca diximus, saltem intellecta volumus de bo-  
nis mariti allodialibus, non feudalibus, in iis quippe regulari-  
ter tacitæ hypothecæ locus non est, *Const. E. 24. part. 2.* Quod  
alias, ratione mulieris, de tempore tacitæ hypothecæ, à quo-  
nam nimirum illud incipiat, quondam anxie ab Interppr dis-  
putatum fuit, *test. Negus. m. 4. p. 2. n. 79. & seqq.* Illud in pro-

vinciis hisce *Const El. 24. p. 2.* disertis verbis decisum est, **Wann**  
**nemlich der Kirchgang oder Priesterliche Copulation ge-**  
**schehen/** quamvis in augmento dotis aliter se res habeat, in il-  
lo enim tacita hypotheca cum privilegio prælationis demum  
sumit initium à die ipsius augmenti facti, *l. 19. § ibi Bald. & Sa-*  
*lic. C. de donat. ante nupt.* Fiscus quoque ex causa tributorum,  
*l. 1. C. in quib. caus. pign. vel hypoth.* uti etiam ex causa contractu-  
um, *l. 2. C. d. t. Negus. de pignor. m. 4. p. 2. n. 125.* non autem ex cau-  
sa pœnarum jus tacitæ hypothecæ obtinet, *gloss. & DD. in l. 10. ad*  
*verb. hypothecam. ff. de pact. Negus. m. 4. p. 2. n. 115.* Mulier tamen  
in dubio Fisco est præferenda, *arg. l. in ambiguis ff. de jur. dot. Ja-*  
*son & DD. in l. 1. ff. sol. matr. Bald. in l. 9. C. de jur. dot.* Mutuans  
item pecuniam ad reflectionem domûs, tacitæ gaudet hypo-  
thecæ, *l. 1. ff. in quib. caus. pign.* nisi ad voluptatem magis quàm  
ad utilitatem, puta ad exornandam domum rectoriis & simili-  
bus mutuâset, tunc enim non habebit legalem hypothecam,  
*l. 3. § 4 ff. de in rem verso,* uti nec mutuans ad domûs vel alterius  
prædii constructionem, *Hartm. Pistor. p. 3. quest. 3. n. 7. Rauchb.*  
*p. 1. quest. 5. n. 18.* autoritas enim legis, quæ sola hoc privilegi-  
um tribuit, hoc in passu deest, *Rauchb. d. quest. 5. n. 22.* Porro,  
Legatarius in bonis testatoris pro legato, *§. 3. vers. nostra. Inst.*  
*de legat. l. 1. C. comm. de legat.* Locator etiam prædii, siue rustici  
siue urbani, in bonis conductoris tacitam habet hypothecam,  
*§. item Serviana, Inst. de action. l. 4. ff. in quib. caus. pign. l. 5. C. de lo-*  
*cato.* etiam in mercibus mercatorum, *l. 24. princ. ff. b. t.* An au-  
tem per expressum pignus tollatur tacitum & contrà, meritò  
hic loci quaeritur, Nos cum *Bald. in d. l. 5. C. de locato. Johann.*  
*Fabr. ad §. item Serviana. Inst. de action. n. 5. Negus. m. 4. p. 2. n. 91.*  
negativæ subscribimus. Caterùm expressi pignoris cum *gloss.*  
*in l. 2. C. qui pot. in pignor.* tria dinumeramus genera, conven-  
tionale nimirum, judiciale & prætorium, cum *Donello tamen,*  
*c. 3. de pignor. & ad l. 2. C. de prætor. pignor.* prætorium & judici-  
ale pro eodem sumi posse, statuente non adeò dissentimus, nam  
utrumque expeditur à iudice *uti notatur in l. 1. C. de prætor. pignor.*  
non



non ignari, DD. aliàs communiter pignus facere quadruplex.

THES. IV.

Utrumque porrò pignus cum DD. subdistinguiamus in generale & speciale, in generali veniunt omnes res, præsentis & futuræ, *l. ult. C. quæ res pign. obl. l. 1. princ. & ibi Barr. ff. de pignor.* Corporales & incorporales, *l. 218. ff. de verb. signif. facit l. 15. ff. de R. J.* (nisi debitor tantùm obligarit bona mobilia vel immobilia, neutrâ enim appellatione actiones & nomina veniunt, *Carpzov. p. 2. C. E. 12. ds. 27. n. 5. Gail. 2. obs. 11. n. 10.*) etiam pecunia, *l. 34. §. fin. ff. h. t.* Quædam tamen, utpotè bona feudalia, *c. imperialem in princ. 2. Feud. 52. litigiosa, l. 1. §. fin. ff. quæ res pignor. alienæ, l. 20. ff. de pign. act. & tbt. tit. C. si res aliena.* Boves aratorii, agrorum instrumenta, *l. 7. C. quæ res pign. persona loquentis, l. 18. C. de solut. & libent. excipiuntur.* Et generaliter dicendum, in generali obligatione non venire ea quæ verissimiliter nullus in specie fuisset obligaturus, ut sunt ea quæ usu quotidiano habentur, utpote suppellex, concubina & similia, *l. 6. 7. 8. ff. h. t. & DD. in d. l. 6. quod procedit, etiam si dictio universalis, OMNIS, adjecta sit, Bart. & Salic. in l. 1. C. quæ res pignor.* Pignoris specialis constituendi modi reperiri possunt *ap. Bachov. de pignor. lib. 1. c. 8.* Plus autem juris constituitur creditori per speciale pignus quàm per generale, *l. 3. C. de serv. pign. dat. manum. l. 12. C. qui pot. in pign.* quod vel ex eo videre est, quòd in hypotheca generali exceptio domini, quòd scilicet debitor non sit hujus vel istius rei dominus, locum habeat, in speciali non item, *Negus. m. 1. p. 2. n. 5.* item quòd mancipia, quamvis sint generaliter obligata, possint manumitti, secus si essent obligata specialiter, *l. 3. C. de serv. pign. dat.*

THES. V.

Ex jam dictis haud difficilè colligere est, causam pignorum efficientem esse aut hominum voluntatem, aut legem, aut Magistratum, *Wesenb. par. ff. de pignor. act. n. 3.* Transeamus itaque ad causam materiale.

THES.

THES. VI.

Pignori dari possunt omnes res, quæ emptionem-venditionem recipiunt, *l. 9. §. 1. ff. h. t. l. 18. in fin. ff. de pign. act.* excepta tamen re alienâ, quæ equidem vendi potest, *l. 28. ff. de contrab. empt.* pignori dari non potest. *l. 2. ff. de pign. act. l. 1. 2. 6. & 7. C. si res aliena pign.* nisi solummodo in præjudicium debitoris, contra ipsum enim competit hypothecaria, *Bart. in l. 9. column. 2. ff. de pign. act. Bal. in l. 3. C. de rei vindic.* uti etiam pignoratitia, & pro qualitate, stellionatus crimen, *l. 16. §. 1. ff. de pign. act.* Rationem diversitatis, cur scilicet res aliena vendi, pignorari autem nequeat, adfert inter alios, *ex gloss. in d. l. 28. ff. de contrab. empt. Schneid. ad §. 4. inst. quib. mod. re contrab. oblig. n. 14.* Convalescere tamen interdum ejusmodi rei, alienæ pignus dicitur, uti notatur in *l. 20. b. 41. ff. de pign. act. l. 56. in fin. ff. ad SC. Trebell. l. 5. C. si res aliena.* Et in summa, omnes res pignori dari possunt, dummodo non sint exemptæ à commercio nostro, vel naturâ, vel lege, *arg. l. 24. §. 1. ff. de contrab. empt. cui conferenda l. 9. §. 1. ff. h. t. naturâ oppignorationem respuunt res sacræ, religiosæ, sanctæ, l. 3. C. quæ res pign. liber homo, quamvis filiusfam. l. 6. C. d. t. lege, litigiosæ, l. 1. §. fin. ff. quæ res pign. minorum, fundus dotalis, l. 2. C. de relig. & sumpt. funer. l. 3. C. quæ res pign. Wesenb. par. ff. res pign. n. 2.* Et ne tum quidem res suâ naturâ oppignorationem respuentes in obligationem deduci possunt, si sub conditione, puta cum res sacra in profanam mutata fuerit, supponantur, quia scilicet de rebus extra commercium constitutis inita pactio nullius est momenti, *§. 2. Inst. de inutil. stipul. l. 183. §. sacram. ff. de verbor. oblig. Harpr. ad §. 4. Inst. quib. mod. re contrab. oblig.* De eo disputatur, an servitutes prædiorum, imprimis urbanorum oppignorari possint, Nos cum DD. communiter & urbanorum & rusticorum oppignorationem respuere asserimus. De eo itidem, an pignus pignori dari possit? Sed ajunt expressæ LL. nimirum *1. & 2. C. si pign. pign. dat. sit.* propter evitandam tamen infinitatem, ultra tertiam vicem, non esse pignorandum, suadent *Laurent. Silvan. Conf. 34. n. 5. Mozz. de pign. column. 2. n. 35.*

TH. VII.

THES. VII.

Uti omnes res, quæ specialiter exceptæ non reperiuntur, oppignorari possunt, *ib. preced.* ita etiam omnes personæ, quæ sunt rerum suarum domini, oppignorare non solum, verum etiam accipere pignori possunt, nisi in specie prohibeantur, *arg. l. 21. C. mandati.* Pignoris acceptionem quod attinet, ibi generalem cum *Bachov. tract. de pign. lib. 2. c. 15.* facimus regulam, quod omnes isti, qui jus habent contrahendi ejusmodi negotium, pro quo pignus rectè constituitur, etiam rectè pignori accipiant, Quantum ad dationem, inter alios reperiuntur prohibiti, pupillus, *l. 1. princ. ff. quæ res pignor. filiusfam. d. l. 1. §. 1.* servus, *l. 10. C. quod cum eo.* Prælati item Ecclesiæ res Ecclesiæ specialiter pignorare non potest, *cap. nulli. de reb. Eccles. non alien.* generaliter tamen, & quidem sine traditione, potest, *dict. cap. nulli, in verb. specialis Hypothecæ ubi Canonista, & Abb. in cap. 3. de precar.* & hæc est communis opinio, de quâ testatur *Negus. m. 1. p. 2. num. 3.* procurator, nisi speciale habeat mandatum, *l. 11. §. fin. de pign. act. vel cum liberâ, quod speciali æquiparatur, per text. in l. 58. ff. de procurator. Bart. in l. 1. C. si res alien. pign.* Vasallus item, absque caducitate feudi, illud pignorare sine patroni consensu non potest, *Zaf. de feudis, part. 9. n. 6. Schrader. de feudis p. 8. c. 1. num. 22.* Id quod tamen de feudi fructibus, *Jacob. Schult. in addit. ad Modest. Pistor. p. 2. qu. 120. n. 12.* uti & subinfeudatione, *2. F. 3. §. 2. 2. F. 24. §. 2.* non dixerimus: Econtra autem dominum, invito vasallo, pignori obligare directum dominium & jurisdictionem feudi posse, tradunt *DD. Comm.* De eo, cui Publiciana in re competit, dubitatur, Nos affirmativæ calculum addimus, propter textus expressos *in l. 18. & 21. §. 1. ff. h. t.* Simili modo de emphytevta, sed nos itidem cum *Negus. m. 2. n. 28 & DD. in l. 16. §. fin. ff. de pign. act.* affirmativam sequimur.

THES. IIX.

Potest pignoris contractus in scriptis & sine scriptis expediri, *l. 4. ff. h. t. l. 9. princ. ff. quæ res pign.* pactiones etiam, diemque ac conditionem recipit, *l. 4. ff. de pign. act. Wesenb. par. ff. h. t. n. 4.*

B

modò

modò non evertant ipsam contractus seu negotii, cui accedunt, naturam & substantiam, aut bonis repugnent moribus, *l. 5. ff. de pact. dot. l. 6. C. de pact. Hunn. ad Treutl. vol. 1. disp. 9. thes. 6. lit D.* Non equidem putamus antichreos pactum, quod vel expresse, *l. 11 § si antichreos. ff. b. t. vel tacite, l. 8. ff. in quib. caus. pign. tac.* contrahitur (duplicem quippe faciunt antichresin ( *u. jac. ad l. 14. C. de usur. Borcholt. de usur. c. 6.* ) bonis moribus contrariari, nec ob modicum legitimarum usurarum excessum creditorem ad restitutionem fructuum teneri, cum *Andrea Rauchb. p. 1. quest. 20. n. 38. Negus m. 5. p. 5. n. 13.* tum propter incertum fructuum proventum & precii eorundem inconstantiam, tum ob laborum notabilem impensum in cultura agrorum, *Carpz. p. 2. Const. 30. df. 40. n. 11. 12.* Legem commissoriam autem in subjecta materia omninò bonis moribus contrariari, *l. 1. l. fin. C. de pact. pign. (vid. tamen l. 16. §. ult. ff. b. t.)* nec juramento confirmari posse, *DD. comm.* statuunt, quamvis observandum tamen tale pactum juratum esse, tradant *Bart. in l. 56. ff. de fidejuss. & mandat. Guid. Pap. decis. 6.* uti & ea quæ de lege commissoria diximus, tantum procedere volumus, quando ejusmodi legis commissoriæ pactum statim à principio adjectum est, secus si ex intervallo, *Bart. ad l. 6. §. 34. ff. de pign. act.* ubi etiam diversitatis rationem adferre. Quæstionis est, an, si agatur à debitore, ne liceat creditori vendere pignus, creditor possit vendere? Affirmamus *ex l. 4. ff. de pignor. act.* si modò trina denunciatio præmittatur, *d. l. 1. id quod & juri Saxonico consentaneum est,* Quæri item potest, an creditor vendens pignus teneatur emptori de evictione, sed negam. *per l. 30. ff. de pignor. Bart. & DD. ibidem. & r. s. C. Creditor. evict. pign. non deb.*

#### THES IX.

Ritè facta pignoris constitutio, quæ de jure Sax. in bonis immobilibus non nisi mediante iudice fieri potest, durch Gerichts- oder Amptsgunst/ *C. El. 23. p. 2.* multiplices operatur effectus, nimirum adfert creditori jus & securitatem (quæ est pigno-

pignorum causa finalis, §. 4. *Inst. quib. mod. re contrah. obl. l. 25. ff. de R. J.*) in re oppignorata, d. §. 4 largitur ipsi actiones ad pignus persequendum ( neque enim creditor sibi ipsi jus dicere debet, & possessionem hypothecæ privatâ autoritate invadere, l. 5. *C. ad L. Jul. de vi*, nec tum quidem cum illud conventionis jure fuit permissum, l. 3. *C. de pignor. l. pen. C. de pign. act. l. 55. ff. de furt. Coler. de proc. exec. p. 1. c. 5 n. 99. Wesenb. par. ff. de distract. pign. n. 10.*) Servianam nimirum & q̄l. servianam seu Hypothecariam, §. 8. *inst. de action. &* quidem contra quemlibet possessorem, l. 21. §. *fin. ff. h. t. reales enim sunt actiones, l. 18. C. h. t. excusso* nihilominus prius principali, *DD. in auth. hoc ita. C. h. t. & ibi Gothofr. auth. sed hodie C. de O. & A. Gail 2 obs. 27. n. 7.* nisi pignus creditori sit traditum, tunc enim, si postea à possessione cadat, potest agere hypothecariâ, non excusso principali, *Negus. m. 1. p. 1. n. 7* cui consequens est, excussionem principalis in pratorio pignore non esse necessariam, *Bald. in l. 1. column. 2. C. de his que in fraud. cred. eodem modo se res habet quando clausula constituti in pignore adjecta est, Negus. m. 1. p. 8. n. 17.*

THES. X.

Si fortè pluribus eadem res fuerit obligata, regulariter obtinet vulgatum juris axion a : Qui prior tempore, potior jure, l. 8. 10. 11. *ff. qui pot. in pign. l. 98. de R. J. c. qui prior. 54. de R. J. in bro.* adeò, ut prior præferatur Fisco, Reip. & Imperatori, l. *fin. ff. qui pot. in pign. l. 4. C. d. t.* in bonis scil. quæsitis ante hypothecam Fisci, &c. secus in postea quæsitis, *Negus. m. 2. p. 5. num. 42. &* æstimatur hæc temporum prioritas ex momento, ita ut qui quantocunque tempore prior est, etiam potior habeatur, *Gail. 2. obs. 25. n. 3.* Potest tamen, sicut tertius possessor hypothecariâ conventus, l. 12. §. *fin. ff. quib. mod. pign. uti secundus creditor jure offerendi &* liberare pignus à primo credito, & sic confirmare suam hypothecam, l. 1. *C. qui pot. in pign. l. 11. §. fin. ff. d. t.*

THES. XI.

Dissolvitur nexus pignoris variis modis, quorum ex parte hîc mentionem faciemus, & quidem consensu, l. 34. *de R. J.*

Solutione ejus quod debetur, sive solutio sit vera, *l. 1. princ. l. 5. §. 2. ff. quib. mod. pign. solv.* sive ficta, *d. l. 1. d. l. 5. princ.* donec tamen aliquid etiamnum restat persolvendum, totius pignoris nexus jure subsistit, *l. 6. C. de distract. pign.* propter individuum nimirum pignoris naturam, *l. 65. ff. de evict. vid. Dn. Carpzov. p. 2. c. 23. df. 31. n. 2.* ubi his formalibus utitur: Ergo, inquit, pignus totum pro toto debito, totumque pro qualibet debiti parte, & rursus qualibet ejus pars pro toto debito tenetur; Pro alio quoque debito pignus retineri posse, ait *L. un. C. etiam ob Chirurg. pec.* Porro, compensatione quoque pignus solvitur, *l. 4. ff. qui pot. in pign.* voluntate item creditoris, vel expressa, *l. 5. ff. quib. mod. pign. solv.* vel tacita, *l. 4. §. 1. l. 8. 6. & seqq. ff. d. t. rei etiam, vel corporalis vel incorporalis, interitu, l. 8. princ. ff. d. t. totali tamen, non partiali, arg. l. 21. ff. de pign. act. l. 29. §. pen. l. 16. §. 2. ff. h. t.* ubicunq; enim id quod superest quocunq; modo partis rationem habere potest, manet in eo pignoris jus, utcunque mutata sit qualitas, *Negus. m. 3. p. 6. n. 9.* Solvitur item pignus, mortuo eo, qui obligationem fecit, & non habebat jus in bonis, nisi in ejus vita, cum post ejus mortem bona ad alios pervenire deberent, *l. 31. ff. h. t. l. 3. ff. quib. mod. pign. solv.* ex quo sequitur, obligationem feudi per vasallum factam resolvi, quando post ejus mortem ad dominum revertitur, *1. F. 5. §. rursus.* Non inconcinnè hinc quaeritur, utrum dominus feudi in oppignorationem consentiens, si, mortuo sine liberis vasallo, feudum ad ipsum devolutum fuerit, ad satisfactionem creditoribus teneatur: Nos affirmamus propter LL. expressas, nimirum *l. 14. vers. unde si quis. ff. quod legator. l. 2. C. de remiss. pign. c. 21. de R. 7. in 6to.* quod ampliamus, etiamsi in consensu addita sit clausula, Salvo suo jure, *Heig. p. 2. quest. 20. n. 2. 3. Hartman. Pistor. p. 2. quest. 48. n. 32.* Wie denn in den Günstbrieffen diese Wort gemeiniglich angehencket werden: Geben darzu unser Günst und Verwilligung / iedoch unser Landes Fürstl. Obrigkeit / Regalien / Ritterdiensten / auch andern Gerechtig-

tig-

**eigkeiten/ die Wir uf solchen Gütern herbracht / ohne schaden/** Effectu tamen illa clausula non destituitur, sed intelligitur reservare Domino jus vasallitium, omniaque alia jura, quæ remissione ac concessione istâ non continentur, quæq; in genere quis verisimiliter concedere non solet, *arg. l. 6. ff. de pignor. Heig. & Pistor. d. locis. Carpz. p. 2. c. 46. n. 7.* Porro, quando creditor tantum ex fructibus percipit quantum est debitum, pignus ipso jure liberatur, *l. 1. C. de distract. pign.* Quod aliàs de præscriptione pignoris reluendi olim disputatum fuit, illud hisce in provinciis, sanctione Electorali, *p. 2. c. 1.* satis clarè decisum est.

THES. XII.

Soluto nunc debito, solutâq; pignoris obligatione, competit actio pignoratitia (quæ multum differt ab hypothecaria, tum quod hypothecaria tantum competat durante adhuc vinculo, pignoratitia verò jam sublato, *Wesenb. par. ff. de pign. act.* tum quod pignoratitia personalis sit, & tantum contra personam obligatam intendi potest, nec rem aut tertium possessorem regulariter sequitur, *l. un. C. de distract. pign. Bart. & DD. in l. 18. C. h. r.* Illa verò realis, *ut supra dictum est*: quamvis de jure Can. etiam pignoratitia possit dici in rem scripta, *c. cum constet, X. de pignor. ubi Canonistæ Mozz. de pignor. column. 6. n. 15. Wesenbec. parat. ff. de pign. act. n. 7.*) debitori quidem directa, creditori verò contraria, *DD. Comm. & datur heredibus & in heredes, & quidem perpetuò, Oldend. Class. 3. act. 12.* Etiam si autem pignoris periculum regulariter pertineat ad debitorem, cum ipse sit dominus, non autem ad creditorem, *l. 9. C. de pign. act. nihilominus tamen creditor culpam levem præstare debet, l. 5. §. 2. ff. commendati.* (quamvis secus se res habeat in pratorio pignore, *l. 9. §. 5. ff. de reb. aucton. judic. Bart. in l. 1. ff. de pign. act.*) non levissimam, *l. 14. ff. de pign. act.* multominus casum, *l. 9. C. d. r.* An verò, si pignus casu periit, creditor debitum petere possit, quaeritur, Nos tam de jure civili, *§. fin. inst. quib. mod. re contrah. oblig. l. 5. & 6. C. de pign. act.* quàm Saxonico, *C. El. 26. p. 2.* affirmamus, Dubitare etiam hîc aliquis potest, quare ex hoc contractu

pignoris-dispares oriuntur actiones, directa nimirum & contraria, cum ex aliis contractibus, ut empti-venditi, locati conducti, &c. æqualis utrinque existat actio, verum hanc difficultatem, inter alios, aufert *Wesemb. par. ff. de pignor. act. n. 9. Bachov. de pign. lib. 3. c. 9. n. 1.*

---

### *Corollarium.*

Cum Repressaliæ pignoribus assimilari videantur, de iis, an jure defendi possint, Coronidis loco disquisitionem instituere lubet: antequam autem ad quæstionem ipsam respondeamus, necessum erit paucis explicare, quid sint repressaliæ, & unde dicantur, sunt autem repressaliæ (quarum mentio fit in jure *Can. cap. un. de injur. lib. 6.*) nihil aliud quam pignorationes rerum vel personarum, quando videlicet unus pro alio, & res unius pro re alterius apprehenditur: Unde verò dicatur, non una eademq; opinio est, Quidam enim eas deducunt à repræsentando, quod sc. illi, qui ob denegatam justitiam cum rebus detinentur, repræsentent eos, qui debitum non solverunt, alii repressalias sive pressalias ducunt à pressa, vocabulo italico, quod capturam designat, alii à prædando, nonnulli à reprimendo; Nos de nomine non adeò, sed potius de re erimus solliciti, statuentes *cum Camera observato-*



vatore Gailio libr singulari de pignorationibus,  
obs. 2. Mathia Coiero proc. exec. part. 2. c. 2. n.  
283. & seqq. Henrico V. rico Hunnio, in Comment.  
de privil. studios. C. 2. quæst. 11. item iib. 3. resol.  
jur. Civ. tract. 3 p. 5. quæst. 7. pag. 969. & seqq. re-  
pressalias omni jure prohibitas, illicitas & im-  
probatas esse, propter seqq. fundamenta, (1)  
propter c. 2. de R. I. in 6to. l. 74. ff. de R. I. ubi ha-  
betur, quod nemo alterius odio prægrava-  
ri debet, jam verò negari nequit, quin odio  
non solventis, gravetur per repressalias ille, qui  
propter debitum alienum non solutū, ac propter  
justitiam sive denegatam sive protractam, capi-  
tur aut bona ejus detinentur, (2) per tot. tit. C. ne  
filius pro patre, ubi habetur, quod propter æs ali-  
enum patris, filium inquietari & conveniri fas  
non sit, Atqui, si hoc in patre & filio verum est,  
uti est, quis nō videt, iniquissimum esse aliquem  
propter debitum extranei conveniri, capi, bonis-  
vè suis exui? (3) per l. 11. ff. de R. j. in qua dicitur,  
quod illud quod nostrum est, sine facto nostro,  
ad alium transferri non debeat, At contrarium  
fieri per repressalias, in aprico est, Quinimò,  
quòd (4) ipsæ sacratissimorum imperatorum  
Constitutiones apertissimè ejusmodi repressalia-  
lias

lias prohibeant, in l. nimirum, unic. C. ut nullus  
ex vicanois pro alienis vicanois debitis teneat : ubi  
Imperator Zeno ita inquit, Grave est non solum  
legibus, verum etiam equalitati naturali contra-  
rium pro alienis debitis alios molestari, idcirco  
hujusmodi iniquitates circa omnes vicaneos per-  
petrari, modis omnibus prohibemus, subsumptio-  
ne opus non est, item (s) in auth. habita, C. ne  
fil. pro patre, &c. ubi Augustissimus Imperator  
Fridericus secundus, inter alia, ita scribit, Hac igitur  
generali, & in perpetuum valitura lege de-  
cernimus, ut nullus de cetero tam audax invenia-  
tur, qui aliquam Scholaribus injuriam inferre  
presumat, nec ob alterius cujuscunq; Provinciae  
delictum sive debitum (quod aliquando ex perversa  
consuetudine factum audivimus) aliquod da-  
mnum eis inferat, &c. ubi Imperator Fridericus  
illam repressaliarum consuetudinem ex-  
presse improbat, eamq; perversam  
appellat ; Sed ab-  
rumpo.

X 2615909

VDA





IBUS,

oritate No-  
is in alma.

LENTISSIMI,

EDERERI,

inatus & Faculta-  
bl. ibidem Consulis  
toris atatem

IA  
res atq; privile-

s Parnemann/

ead. Typogr. 1654.

1654  
15  
18

